DISSERTATIO JURIS PUBLICI, DE TURBATIS S. R. IMPERII CIRCULIS,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Quam

PRÆSIDE

DN. IMMANUELE VVEBERO,

D. JURIUM ATQVE PHILOSOPHIÆ PROFESSORE PUBLICO,

Menſe Februario M DCC III.

Publicæ ventilationi ſubjicit

A. & R.

CHRISTOPHORUS ERNESTUS

de Sommerfeld & Falckenhain/

Eques Sileſius.

GIESSÆ-HASSORUM,

ANNO CHRISTI M DCC XVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

B. C. D.

DISSERTATIO DE TURBATIS S.R.IMP.CIRCULIS.

PROOEMIUM.

N*Oli turbare Circulos!* Id monitum fuit, quo inſignis ille Mathematicus Archimedes, poſt Syracuſam urbem expugnatam irruente in domum ſuam milite, de vita parum ſolicitus, violationem formarum Geometricarum arenæ inſcriptarum deprecatus, ſed fruſtra; ſiquidem à feroce homine obtruncatus, *ſanguine ſuo artis lineamenta confudit*, ut eleganter Val. Maximus, *L. VIII. c. 7. exter. n. 7.* In Circulos quum conſilio laudabili Optimus Imperator Maximilianus Imperium Romano Germanicum deſcriberet, dubium non eſt, quin votorum ejus ſumma hæc fuerit, ut ne quis Imperii hoſce circulos unquam diſturbaret, coarctaretve: ſed quàm eventus conſilia hæc & ſpem deſtituerit, id facies Imperii præſens ad antiquum illum ſtatum comparata, id acta publica ſatis eheu! loquuntur. Placuit, dum ſub diſceſſum ab Illuſtri hac Academia ingenii aliquod periculum facere jubeor,

Digitized by Google

præ cæteris hoc de *turbatis Imperii Circulis* argumentum, tum quod utilitate id non careret, tum quod ampliſſimum Hiſtoriarum pariter & Juris publici Scriptores evolvendi mihi aperiet campum. Diſtribuam autem penſum in duo capita, quorum *primo* de S. R. Imperii circulis in genere, & de eorum conſtitutione; *ſecundo* de turbatione Circulorum tum per avulſionem, tum per varias alias alterationes agatur. Et quidem non omnibus numeris abſolutam tractationem promitto, quippe quæ & vires meas ſat tenues, & menſuram modumque Diſputationis Academicæ exceſſura eſſet; ſed potiora tantum turbatorum Circulorum exempla adducam, in iisque momenta tum facti tum juris præcipua ſummis, quod dicitur, labris delibabo. Faxit Deus feliciter!

CAPUT PRIMUM
De
Circulis S. R. Imperii in genere, & de eorum Conſtitutione.

CONSPECTUS.

I. Introitus.
II. Circuli etymologia.
III. Circulorum Imperii homonymia.
IV. Synonymia.
V. Defini io realis.
VI. Origo, & cauſa efficiens.
VII. Numerus, & qui ex ſenario denarius factus?
IIX. Cur Bohemia & Pruſſia Circulis non adnumerata?
IX. Cauſæ moventes, unde cœperunt X. Circuli.
X. Jura Circulorum præcipua.
XI. Uſus & utilitates Circulorum.

§. I.

IMperium noſtrum Romano Germanicum omni tempore varias diviſiones expertum eſt, de quibus cum veteres tum recentiores Juris publici, & rerum Germanica-

Digitized by Google

nicarum Scriptores paſſim tradunt. Nobis vero cum hac vice propoſitum ſit, de notiſſima Imperii Diviſione, quæ aliquando in Circulos facta, quædam in medium proferre, igitur ab explicatione vocum, ne errores eæ gignant, initium faciemus.

§. II.

Circulus diminutivum eſt à voce circi, qui ambitum ſignificat rotundum, omnia, quæ in ſe continet, concludentem, quæ vero extra eum ſunt, excludentem; & opponitur globo, ſoliditatem undique verſum rotundam denotanti. Vocabulum tamen Circuli frequentius legitur, quam ipſum, quod diximus, ejus primitivum.

§. III.

Vix opus erit, ut moneamus, nos hoc loco circuli vocabulum non in ſenſu Mathematico accipere, quatenus juxta definitionem Euclidis omnem circumeuntem & rotundum ambitum ſive figuram planam, rotundam, à medio ſuo ſive centro æqualiter diſtantem ſignificat, *l. I. def. 15.* ſed potius in civili ſenſu id noſtrum facimus, quo ferè apud Ciceronem *Lib. II. ad Att. ep. 18.* cœtum hominum in orbem digeſtum ſeu collectum exprimit. Id tamen diſcriminis inter Ciceronis & noſtram acceptionem manet, quod nos non homines ſolos, ſed potius certam Imperii portionem cum hominibus, & quidem non habita formæ ſeu rotunditatis ratione circulis noſtris comprehendimus. Confer pluribus de hac acceptione Limnæum *Addit. I. ad Jus publ. L. 1. c. 7. n. 19.* Deinde circulus ſæpe idem eſt ac finis, & omne, quod intra circulum continetur, id ab hoc tanquam à limite quodam circumſcribitur. Eam tamen etiam acceptionem ad præſens inſtitutum adplicare non licet. Nam etſi ſinguli Circuli Imperii finiunt & limitant id, quod in iis continetur, non tamen vel ſinguli,

Digitized by Google

vel omnes in univerſum ſpectati fines Imperii conſtituunt, imo longe latius porriguntur fines, quam Circuli, quod imprimis conſtat ex egregio Conringii de Finibus Imperii libro. Quamvis negari non poſſit, ſæpe quæſtiones de circulis cum quæſtionibus de finibus Authores confundere.

§. IV.

Nominibus variis Circuli Imperii exprimuntur. Germanicè Creyß/ Zirckel/ Ordn. Regiments zu Augſp. 1500. tit. IV. ſub fin. R. Imp. eod. anno tit. XLIIX. Cammer-Ger. Ordnung 1507. tit. XIX. poſt ſubſcript. R. Imp. Trevir. & Colon. MDXII. P. I. tit. I. §. 9. & 11. (ubi etiam vocantur Bezirck) §. 8 9. It. Ordnung des Regiments zu Wormß 1521. §. 22. Der andere Circkel. §. 23. Der dritte Circkel. Legitur etiam Circk/ Käyſer Ferdinandi I. Müntz-Ordnung 1559. §. 157. und damit dieſe Unſere. Latine vocari videas Pagos, apud Grotium *Annal. Belg. l. VIII. p. 344* Regiones, apud Monzamban. *c. II.* §. *15.* Dn. Schweder. *Introduct. J. P. P. gener. c. V.* §. *1.* Curias, Claſſes. Dn. Datt. *Rer. Germ. L. I. c. 17. n. 21. ſeqq.* Limn. *J. P: Lib. I. c. 7. n. 22.* Orbes, Burgold. *Diſc. ad Inſtr. Pac. P. III. d. 7. p. 54.* Partes ſ. Theile dicuntur in Conſtitut. Alberti II. Imperatoris apud B. Dn. Schilterum *Inſtit. Jur. publ. T. II. tit. 19. p. 346.*

§. V.

Ex hiſce adductis ſatis apparet, quid per S. R. Imperii Circulum intelligamus, nimirum magnam aliquam regionem ex diverſarum vicinarum Provinciarum conjunctione conſtitutam, ſub ſe plures ſtatus & ordines Imperii comprehendentem, uti Vitriarius definit, *Inſtit. J. P. lib. II. tit 6.* §. *3.* Vel ſi pleniorem Imperii Circulorum expetas definitionem, hanc dabimus: *Circuli Imperii ſunt magni terrarum territoriorumque complexus, peculiaribus ſuis juribus muniti, juxta quos Imperatoris Maximiliani I. & ordinum conſenſu*

Digitized by Google

ſenſu Imperium tranquillitatis & utilitatis communis cauſa diſtributum eſt.

§. VI.

De Origine Circulorum variæ extant Scriptorum Jurisque Publici Doctorum opiniones, quarum aliquas hic recenſebimus. Pontus Heüterus, de remotiore ortu præter nececſitatem ſolicitus, diviſionem illam ortum ſuum debere putat Romanorum partitioni, qua olim illi amplas ſuas ditiones diſtinxerunt; *Vet. ac nov. Belg. hiſtor. l. II. c. 3. p. 81.* ſed merito rejecta hæc a Limnæo *J. P. L. I. c. 7. num. 19. & I. Addit. ad Lib. I. c. 7. num. 19. p. 39.* Goldaſtus, *de Regno Bohemiæ Lib. IV. c. 5. n. 2. p. 472.* tradit, Wenceslaum Imperatorem Mergentheimii in Franconia MCCCLXXXVII feciſſe Conſtitutionem, qua Imperium in quatuor circulos diviſerit; & docet quidem tenor Conſtitutionis, cujus ſummam Lehmannus *Chron. Spirenſ. L. VII. c. 68.* exhibet, quod in quatuor partes, in vier Partheyen / Principum & totidem Civitatum diſtributio tùm aliqua facta fuerit; Sed & hæc nihil ad Circulos noſtros, vel ad veram eorundem originem. Claſſes Imperii rectius dici Limnæus *putat, l. c. n. 22.* quod ipſum tamen etiam Dn. Dattio diſplicet, quia non totius Imperii ea partitio fuerit, ſed tantum ad particulare fœdus referenda diſtributio, *l. c. Lib. I. c. 27. n. 17.* cujus judicio nos ſubſcribimus, & addimus, ne quidem apparere ex tenore verborum, quod fœdus iſtud Imperatoris & Ordinum Imperii autoritate munitum fuerit, & Sanctionis publicæ vim obtinuerit. Dn. Coccejus operoſus valde eſt in probando, *ſex Imperii Circulos antiquam provinciarum juris Germanici diviſionem eſſe, quam adeo non fecerit Maximilianus, ſed ut dudum receptam potius ex vetuſtiſſimo uſu recenſuerit. Jurisp. publ. c. IV. §. 2.* Enimvero cum multa alia hic ſupponuntur, quæ tamen incerta plane ſunt

& du-

& dubia; tum præcipue illud, quod diviſio populorum Germaniæ antiqua cum conſtitutione Circulorum & jurium circularium, prout in Imperio hodie obtinent, coincidat, id quod utique evidentioribus argumentis probandum incumbebat illi, qui Maximilianum inventorem eſſe inficiatur. B. Dn. Schilterus, & cum illo Dn. Dattius conſtitutorum Circulorum originem ad Albertum II. Imperatorem referunt, qui in Comitiis Lintienſibus MCCCCXXXIIX. quatuor Imperii Circulos, ut expreſſe vocantur, Krayſſe und Theile / produxit verbis: So haben Wir die Lande Unſers Reichs (ußgenommen unſer Crone zu Beheim / und was dazu gehört/und unſere Vettern von Oeſterriche) in vier Theyl und Creyſe geſundert und getheilet; quemadmodum patet ex ipſa Conſtitutione, quam ex Archivo Argentoratenſi obtentam Schilterus *loc. cit. T. II. tit. 19. p. 345.* exhibet & Dn. Dattius *L. I. c. 26. §. 13. ſeqq.* ſimul errorem Comitis Fuggeri notans, qui bis falſus in Speculo honoris Auſtriaci Noribergæ MCCCCXXXIIX. in ſex Circulos Imperium diviſum fuiſſe aſſerit. Et admitti poſſe videtur hæc ſententia, ſi tempus primæ conceptionis & originem remotiorem Circulorum Imperii tempore publicæ receptionis atque originis propioris diſcernamus. Etenim, uti patet ex Actis publicis, non ſemel & ſimul haſce diviſiones velut maturuiſſe, ſed multas ſæpius conſultationes tum inter Electores ſolos, cum inter Imperatores & omnes Imperii Status de pace & tranquillitate publica inſtitutas fuiſſe; ita etiam ſatis conſtat, aliquoties de diviſione aliqua Imperii in circulos ſeu partes facienda fuiſſe deliberatum, ſed nunquam ad perfectionem & maturitatem illa conſilia pervenerunt, antequam Maximilianus rerum potiretur. Goldaſtus Reichs-Satzungen *T. I. fol. 184. ſub rubr. Receſſus Imperii Norimbergenſis Anno 1467.*

it. *Tom.*

Digitized by Google

it. *Tom. II. fol. 144. & 1438.* Quod in ſpecie Conſtitutionem illam Alberti Imperatoris attinet, idem ſine dubio de ea aſſerendum eſt, ei ſcilicet ſanctionis publicæ honorem detrahi quidem non poſſe, ad quam ſequentibus temporibus Imperii Ordines ſubinde reſpexiſſe certum eſt, ut in Comitiis *Noriberg. A. MCCCCLXVII.* Vide *Receſſum apud Goldaſt.* Reichs-Satzung/ *T. I. fol. 184. & Datt. l. c. §. 15.* it. *c. 28. §. 58. 62.* Exſecutioni tamen nunquam data fuit. Idem *l. c. c. 27. §. 14.* ſine dubio propter inopinam, quæ anno ſequente accidit, Imperatoris mortem. Sic igitur vera & actualis Circulorum origo ad illa tempora neutiquam referri poteſt, quoniam dubio procul Fridericus ſucceſſor in publicata Anno MCCCCXLII. Reformatione Francofurtenſi eorum feciſſet mentionem; imo plane non opus fuiſſet, ut de tali inſtituto introducendo ſequentium temporum Imperatores cogitaverint. Verus igitur ſtabilitæ hujus diſtributionis per Imperium Autor nominandus eſt Inclytus Imperator Maximilianus, qui viæ ab Alberto monſtratæ inſiſtens, quum pacem publicam alio modo medioque obtineri non poſſe cerneret, primum Anno MD. in Comitiis Auguſtanis Imperium in ſex Circulos, Franconicum videlicet, Bavaricum, Suevicum, Rhenanum Superiorem, Weſtphalicum, Saxonicum diviſit, Ordn. des Regiments zu Augſpurg 1500. tit. wie ſechs Räthe 5. & Cammer-Gerichts-Ordnung zu Conſtantz *Anno 1507. art. 20. ſeq.* Deinde Anno MDXII. quatuor adhuc alios, Auſtriacum, Burgundicum, Rhenanum inferiorem, & Saxonicum ſuperiorem in Comitiis Trevirenſibus & Colonienſibus ſuperaddidit, ut decem fierent. *R. I. de dict. An. Part. 1. Art. 1. §. 11. & 12.* Communiter hic accuſari ſolet Aug. Thuanus, quod originem Circulorum in annum MDXXII. retulerit *Lib. II. hiſt. princ.* cum tamen conſtet, Maximi-

Digitized by Google

ximilianum An. MDXIX. è vivis exceſſiſſe. Vid. *Limn. J.P T. l. c. 7. n. 26. ſeqq.* Verum non puto, tantum eſſe illum præſtantiſſimi Hiſtorici errorem, quin excuſari poſſit, ſi dicamus, non ſimpliciter ortum Circulorum ad id tempus eum referre, ſiquidem diſerte in ſex diſtributionem jam ante factam aſſerit, ſed loqui eum de ſtatu majoris perfectionis, quam dicto demum anno hanc diviſionem accepiſſe teſtatur Erklärung des Land-Friedens zu Nürnberg An. 1522.

§. VII.

Quum quæri hic ſoleat, qui factum, quod non initio ſtatim plures quam ſex Circuli conſtituti; non poſſumus non, quin ſententiam noſtram paucis ſuper hac re aperiamus. Cogitantibus igitur, quod primo conſtitutionis tempore Imperator Albertus II. regnum hæreditarium Bohemiæ, & terras Auſtriacas ſub Circulis comprehendi noluerit, quod etiam Electores aliquamdiu exemtas ab hac diſtributione terras imprimis Electoratibus annexas ſervaverint, non poſſumus aliter concludere, quam inſtitutum id debuiſſe tantum Epiſcopos, Principes & reliquos inferiores Imperii Status tenere, tantumque fiduciæ Imperatori & Electoribus fuiſſe, ut crediderint, ſe ſuis copiis viribusque vel autoritate terras ſuas coercituros, adeoque ſeparatas ſuas a cæterorum commercio res atque rationes habere voluiſſe, præprimis cum non minora incommoda quam commoda circulorum illorum inventum preſſura eſſe cernerent, & jus præſentandorum Aſſeſſorum Cameralium Circulis iis annexum jam aliunde, quam à terris, Imperiali nimirum aut Electorali eorum axiomate dependeret. De expreſſa exemtione Bohemiæ & Auſtriæ jam conſtat ex diviſione Albertina ſupra allegata, verbis: Ußgenommen unſer Crone zu Beheim/ und unſer Vettern

tern von Oſterriche. apud *Datt. l. c. c. 26. n. 14. fol. 180.* Quod deinde Maximilianus ſecutus in Comitiis Auguſtanis, & aliquamdiu poſt in eodem ſtatu reliquit. Aliud dicendum de Electoribus quoad diviſionem Albertinam, qua ii utique comprehenduntur; ſed Maximilianus in priore ſua diviſione eos rurſus exemit, adeo ut de terris ad ipſos qua Electores ſpectantibus nihil ibidem diſpoſuerit. Pronior igitur, quum alia non ſuppetat, conjecturæ ratio eſſe nequit, quam quod ſingularis prærogativæ præ cæteris Statibus cauſa id factum, quia forſitan ipſo Imperatore quoad hoc deterioris conditionis eſſe noluerunt. Sic igitur cum manifeſte appareat, forte fortuna ſenarium circulorum numerum cœpiſſe, quid opus eſt, ut in myſterio abſtruſæ antiquitatis Germanicæ cum Dn. Coccejo *l. c. c. 2. 3. 4.* cum quæramus, de qua Maximilianum cogitaſſe nullo documento probari poteſt, imo quem ipſe ante eum Albertus non fuiſſet neglecturus, ſi in ſancta ejus cuſtodia tantum momentum crediidiſſet poſitum. Enimvero quum ſucceſſu temporis animadverterint & Imperator & Electores, id conſilium ipſis non bene ceſſiſſe, quin potius per hanc ſeparationem & communi Imperii defenſione eos deſtitui, & in negotiis Circulorum eorum autoritatem minus valere, imo, quæ Imperatorum peculiaris ratio fuit, poſſe cum tempore contingere, ut alius, quam Auſtriacus Imperii faſces moderetur, & ita Auſtriacæ terræ in præſentandis Cameræ Aſſeſſoribus jus nullum habeant; idcirco de augendo Circulorum numero cogitatum, & Imperator in dictis Comitiis Trevirenſibus An. MDXII. Auſtriacas terras & Burgundicas, qvarum illis Turcæ, his Galli imminebant, novorum Circulorum nomine cum Imperio arctius univit; Bohemiæ ſtatum ſeparatum reliqvit, non ideo, qvod

 Sla-

Slavici Juris, dudum qvippe extincti & ab hominum, qvi hæc agebant, memoria remoti aliqvando fuiſſet, ut Dn. Coccejus, qvod receptioni in Circulos Bohemiæ æque parum ſanè obeſſe poterat ac Vandalicis Provinciis, qvo minus Circulo Saxonico adſcriberentur; ſed qvod Bohemiæ non ita facile ac dictis ditionibus inſultus hoſtiles eſſent metuendi, absqve qvibus Imperio innecti Auſtriacis Imperatoribus forte nunquam conſultum fuerit viſum; conf. *Monzamban. c. I. §. 4.*

§. IIX.

Cæterum in Comitiis Anno MDXII. conſultationes inſtitutas fuiſſe de duobus aliis adhuc addendis Circulis, Pruſſico nimirum atqve Bohemico, ex actis publicis conſtat, ſed nunquam ad perfectionem illæ pervenerunt. Bohemos enim reſtituiſſe ſcribit Goldaſtus *L. II. c. 16. de Regno Bohem.* conf. Limnæum *J. P. L. I. c. 7. n. 37. & I. Add. ad l. c. c. n. 26. p. 40.* adeoque ipſe Goldaſtus refutat errorem ſuum, quem habet *L. I. c. 2. n. 5. L. 4. c. 8. Bohemia* & *Conſult. de Electore Bohem. num. 13.* ubi aſſerit, Bohemiam undecimum adeoque ſeparatum circulum conſtituiſſe. Cujus opinionis falſitas inter alia clarè patet ex Proteſtatione Ferdinandi I. Bohemiæ Regis, fratri Carolo V. oppoſita in Comitiis Auguſtanis MDLXIII. verbis: Weil auch die Steuren im Reich mehrentheils auff die Stånde in den zehen Creyſſen beſtimmt/ die Cron Böheimb aber in einigen Bezirck niemals gewieſen worden/ 2c. quæ extat apud Arumæum *de Comitiis C. II. n. 41. p. 51.* & *c. IV. n. 58. p. 144. ſeqq.* Confer Strauchium *diſſ. exoter. I. Th. 4. p. 5.* Hæc de Bohemia. De Pruſſia quid dicendum, an penes ipſam, an penes Imperium reſederit culpa, quod in Circulorum complexum non recepta fuit, vix adeo liqvidum eſt. Eo tempore, quo

qvores non amplius integra, ſæpius adverſus Polonos auxilia ab Imperio efflagitata, ſed & denegata ex ea cauſa potisſimum videntur, quod Circulis ejus innecti, & ita ad onera Imperii conferre Cruciferi recuſaverint. Factum id etiam in Comitiis Anno MDXII patet ex verbis Rec. Imperii: Den Hochmeiſter aus Preuſſen belangend &c. p. II. §. 26. conf. *Dn. Henning ad Beckeri Jus publ. p. 47.* An in congreſſu Viennenſi A. MDXV. Poloniæ Regi promiſerit Imperator Maximilianus, ſe Albertum Borusſiæ Magiſtrum non defenſurum, quod Bœclerus *Rer. Sec. XVI part. I. p. 210. ex Chytræo Saxon. l. V. p. 185.* refert, ejus fides ſit penes Athores. Id certo certius eſt, omni Jure in Prusſiam Imperium nunc excidiſſe, quod antea adhuc à multis in dubium vocatum, quorum rationes vide apud Bœcler. *l. c. p. 215. Notit. Imper. l. II. c. 2. p. 29. Not. ad Grot. L. II. c. 4. p. 143.* contrarium tenente Conringio, de Finibus Imperii *l. II. c. 29 33.* & Dn. Thomaſio, *Not. ad Monzamb. c. II. §. 7.* ex quo poſt obtentum jam Anno MDCLII. per Tractatus Velavienſes, interpoſita Imperatoris LEOPOLDI autoritate, abſolutum Ducis titulo in ea Dominium, hodie cum approbatione ejusdem Invictisſimi Imperatoris, & applaudente Imperio Potentisſimus FRIDERICUS, BRANBENBURGICUS NOVEMVIR, Regio axiomate illius faſces moderatur. Non potuit non inviſa eſſe hæc nova in Prusſia Majeſtas inclyto Ordini Teutonico, qvi cum non ſine ingenti mœrore cogitet illud: Veteres migrate coloni, jus ſuum qvocunqve modo, interpoſitis precibus, proteſtationibus & jurium deductionibus firmare hisqve ſuſfulcire conatus eſt, è qvibus inprimis legi meretur neu auffgelegter Bericht von Preuſſiſchen Abfall Herbipol. MDCCI. Cæſareæ Majeſta-

jeſtatis Commendatoribus & Capitulo ad literas ſupplices d. VII. Sept. An. MDCC. conceptas reſponſum d. XXVII. Aug. An. MDCCI. conſtat his verbis: Wie aber unſer Seits dabey außdrücklich bedungen und verwahret iſt/ daß ſolche Titular allen und jeden und inſonderheit auch dem Reiche und dem Deutſchen Orden an ihren Rechten/ Prærogativen und Inveſtituren ohne Schaden und Nachtheil ſeyn ſolle/ und dann auch wir ſo wohl als unſere Nachkommen am Reich bey zutragenden Fällen den Orden und deſſen erwehlten Hoch-und Deutſchen-Meiſter die gewöhnliche Inveſtituren zu ertheilen nicht unterlaſſen werden: alſo vermeynen wir auch nicht/ daß Ihr euch ſonderlich zu bekümmern oder zu beſchweren Urſache habet/ ꝛc. Non etiam intermiſit Pontifex Romanus ad Reges Catholicæ religionis & huic addictos Status in Imperio literas mittere, qvibus iram in titulum hunc regium ſatis teſtatur, & ne pro Rege FRIDERICUM BRANBENBURGICUM agnoſcant, qvos dixi, Catholicos Principes dehortatus eſt. Sed qvam vim & qvem effectum hæc omnia habitura ſint, id judicare pronum erit acta ſuperiorum temporum animo recolentibus, de qvibus plura referre inſtituti noſtri ratio nunc non permittit.

§. IX.

Anſam & occaſionem huic in Circulos diviſioni Imperatori dedit corruptus Germaniæ & Imperii per ea tempora Status, qvi adhibitis omnibus remediis ſufficienter emendari non potuerat. Namque licet de diffidationum, manuariique juris licentia compeſcenda multum in Comitiis jam ante Maximilianum Imperatorem actum, ceu latè id libro primo pertractat ſupra laudatus Dn. Dattius;

non-

nondum tamen iſtis malis ita obex poſitus, ut non graſſaturarum, cædium, incendiorumque quotidiana exempla audirentur; multi etiam, dumetini equites dicti, Hecken-Ritter/ peditesque milites vagarentur nullius Sacramento autorati, aut obſtricti quidem aliquibus, non tamen in illorum miniſterio, aut extra poteſtatem eorum, quorum ditionem agnoverunt, conſtituti: Viel Reiſig und Fußknecht/ deren eines Theiles gantz keine Herrſchafft haben/ auch etzliche mit Dienſt verpflicht/ darinn Sie ſich doch nicht weſentlich halten/ oder die Herrſchafft/ darauff ſie ſich verſprochen/ ihrer zu Recht und Billigkeit nicht mächtig ſeyn/ ſondern im Lande ihrem Vortheil und Rauberey nachreiten. Qua de cauſa motus Maximilianus magnâ animoſitate rem aggreſſus primum Anno MCCCCXCV. in Comitiis Wormatienſibus Conſtitutionem de Pace publica profana, titulo: Der Königliche Land-Fried. item Handhabung des Friedens/ Rechtens/ und der Ordnung zu Wormbs publicavit, ad quam legi merentur Andreæ Gailii de Pace publica liber, & quæ maxima induſtria, nec minore judicio commentatus Dn. Datt. *l.c. Lib. III. & IV. c. 1. ſeqq.* Et quia probe perſpexerat ſapientisſimus Imperator, hanc etiam saluberrimam Conſtitutionem effectu deſtitutam iri, niſi Judicia per Germaniam meliorem in ſtatum redigerentur, inde ſimul cum Imperii Ordinibus in iisdem Comitiis de univerſali Imperii Tribunali, auguſtisſimo ſcilicet Cameræ Judicio introducendo convenit, cui Jurisdictione in omnes Imperii Cives conceſſa, obſervatio hujus imprimis Conſtitutionis de pace publica aliarumque demandaretur, ceu patet ex Ordnung des Cammer-Gerichts zu Worms MCCCCXCV. cujus formula deinceps

Digitized by Google

cēps multoties in aliis Comitiis ſuppleta, explicata & emendata. Paci huic publicæ etiam adverſari videbatur conſuetudo ſecreti Judicii Weſtphalici, quam Imperator cum Ordinibus iisdem in Comitiis reformavit, & patris Friderici Conſtitutionem repetiit, quæ extat apud Goldaſtum *T.II. Conſtit. Imper. p. 112.* Rebus ſic ſe habentibus, quum in cauſis fractæ turbatæque pacis publicæ ſententiæ quidem a Judicio Camerali pronunciarentur, ſæpe vero nemo eſſet, cui executio demandari poſſit; hinc porro optimo conſilio & Ordinum Imperii conſenſu Maximilianus Regimentum, das Reichs Regiment / tanquam alterum pacis publicæ fulcrum ordinavit, de quo conſtituendo quidem jam actum fuiſſe in dictis Wormatienſibus præclare docet Dn. Dattius, communemq; errorem quo natales ejus ad Comitia Anni MD. referuntur, refutat, & convicia, quibus hac occaſione in Auſtriacam domum invehitur larvatus ille Hippol. a Lapide, redarguit, *d. l. L. III. c. 12.* Sed demum Anno MD in Auguſtanis Comitiis vitales, ut ita loquar, in auras inſtitutum hoc prodiit, quo id imprimis quæſitum, ut abſente imprimis Cæſare ſententiæ Camerales in cauſa fractæ turbatæque pacis publicæ (de omnibus enim vix aſſeruerim) cura & ope hujus imperii Senatus exſecutioni darentur, & non opus haberent imperii Ordines, ſingulis fere annis in peculiares congreſſus rerum publicarum ad pacis & tranquillitatis conſervationem ſpectantium cauſa coire. Optima ſanæ hæc & impèrio proficua conſilia; ſed nequaquam ſufficientia & ſatis valida, quibus finis optatus, ſalusque Reipublicæ nimis diffuſæ obtineri potuerint. Obſtabat ſcilicet vaſtitas imperii, & Germaniæ amplitudo, quo minus conſiliorum ſalubritate, & conſulentium ſolertia efferati & ex

more

Digitized by Google

more veteri ad vindictam propria manu quærendam prurientes adhuc cives compeſci potuerint, niſi diviſo tam vaſto corpore in partes, ſingulisque his ſufficiente virium virorumque copia armatis capiſtra tandem refractariis injicerentur, id quod obtinuiſſe imperium per Circulos, initio ſex; deinde decem prolixè hucusque oſtendimus. Hic quippe modus unicus fuit, hoc unicum remedium abducendi a pravis moribus valde diuque inolitis Germanos noſtros, & imperium ſua vaſtitate laborans ad tranquillitatem concordiamque reducendi, quo de elegans vide judicium Conringii Exerc. *de Comitiis Imperii Germ.* §. 66.

§. X.

In quibus Forma & indoles Circulorum interna conſiſtat, cum optime ex juribus eorum cognoſci poſſit, hinc ea ſicco pede præterire non poſſumus. Competit igitur ipſis jus (I.) habendorum Directorum Craiß-ausſchreibende Fürſten/ & alicubi Condirectorum. (II.) Comitiorum circularium & Conventuum, tam univerſalium quam particularium, in quibus Status Circulares de rebus ad neceſſitatem & utilitatem Circuli vel totius Imperii ſpectantibus deliberant, præcipue de tranquillitate ſtatuum & pace publica ſervanda, de defenſione Circuli, de rectificatione Matriculæ, de ſententiarum ac mandatorum Imperialium exſecutione, de probanda vel reprobanda moneta, de præſentandis Cameræ Aſſeſſoribus, & aliis, de quibus vid. pluribus Pauermeiſter *de Jurisdict. Imper. Lib. II. c. 2.* §. 58. Dn. Schweder. *Introduct. in J. P. part. gen. c. IV.* §. 21. (III.) Jus belli & pacis: quo pertinet jus militiam circularem conducendi & habendi, publicæ tranquillitatis defendendæ cauſæ, & diſtribuendi Officia Circularia, nimirum eligendi & conſtituendi Ducem & Præfectum militiæ Circularem.

Digitized by Google

Craiß-Obriſten / cum Adjunctis, deren Zugeordneten. (IV.) Jus Legatorum. (V.) Jus fœderum cùm inter ſe invicem, tùm cum aliis exteris Regibus & Rebuspublicis; ſicuti conſtat anno proximè elapſo Nordlingæ magnam Aſſociationem Circulorum quinque, nempe Suevici, Franconici, Auſtriaci, Rhenani Electoralis & Rhenani Superioris factam fuiſſe. Receſſus habetur in Staats-Spiegel Menſ. April. MDCCII. *p. 3. ſeqq.* Et aſſociati hi Circuli poſtea fœdus inierunt cum Cæſare, Regina Angliæ & Belgis fœderatis, quod vide *l. c. Menſe Junii, eod. p. 13. ſeqq.* (VI.) Porro Jus habendi Ærarii, Craiß-Caſſe, cum huc pertinentibus Officialibus, Craiß-Einnehmere / Craiß-Caſſirere. Plura Circulorum jura adduci poſſent, quæ verò vide curate deſcripta apud Limnæum *L. I. c. 7. nu. 32. ſeqq. & I. Add. ad l. c. num. 23. p. 45. ſeqq.* Dn. Coccejum *l. c. c. IV. per tot.* B. Schilterum *Inſtit. Jur. publ. T. I. p. 16. 4. tit. 2. §. 2. ſeqq.*

§. XI.

Conſiliis eventus non ſemper reſpondent, nec ſperatæ utilitates ex qualitate re perpetuò obtinentur. Id quod tamen de Circulorum inſtitutorum conſilio dicere non poſſumus, propter maxima longe, quæ inde in Imperium redundarunt emolumenta. Obtentum ſiquidem his eſt, ut quoad utilitatem (I.) generalem, quæ antea diſſipata plane erat, & velut diſſoluta tam vaſti corporis moles, in ordinem quodammodo redigeretur, certoque nexu velut compingeretur. Hac enim vicinarum provinciarum & territoriorum arctiore in certa corpora conjunctione ſub dependentia à directorio Circulari, ſubordinata univerſali Regni Germaniæ corpori pax publica eo facilius in ſingulis Circulis per vires conjunctas quoad militem & Collectas

Digitized by Google

ctas ſervari poteſt. Schilt. *l.c.T.I.L. 2. tit. 1.* §. 7. In ſpecie ad id prodeſt hoc inſtitutum (II.) ut immorigeri, atque paciſragi certis pœnis coerceri, & ſententiæ ad exſecutionem perveniri posſint, ſine qua illas campanas ſine piſtillo recte nonnemo dixit. Executions-Ordnung MDXX. & *R. I. MDLXVII.* § 12. *ſeqq.* (III.) ut Cameræ Aſſeſſores ex iis colligantur. *Ord. Camer. P. I. tit. 1. R. I. de dict. anno* §. 75. Inſtrum. Pacis *art. V. in fine. R. I. noviſſ. de anno MDCLIV.* §. 169. (IV.) Ut certa militia circularis cum apparatu bellico ad Circulorum ipſorum & Imperii defenſionem ordinetur die Craiß-Hülffe/adverſus internam externamq; vim paratum ſubſidium, ut deſcribitur *R. I. Spir. MDLXX.* §. 21. (V.) Ut Collectæ in Comitiis Imperii decretæ facilius colligantur & immodicæ moderentur, & alia, quæ pluribus legi posſunt *in R. I. de anno MDLV.* §. *67. ſeqq. apud Limnæum J. P. L. I. c. 7. n. 20. Add. 1. ad l. c. n. 24. n. 40. Conring. ad Lampadium. p. III. c. 8.* §. *23. Burgold. Part. III. d. 7. p. 54. ſeqq. & Fr. Irenicum, Colleg. Jur. p. I. ad Burgold. p. II. Diſc. 6. p. 47. Schweder. l. c. c. V.* §. *2. Schilter. l. c. T. I. Lib. 2. tit. 1.* §. *7. Vitriarium illuſtratum Inſtit. J. P. Lib. 2. c. 6.* § *9.* Ipſi etiam exteri utilitatem Circulorum horum agnoverunt laudaveruntque; ſicuti videre eſt apud *Thuanum Lib. II. hiſtor. p. 26.* Hæc cum ſint verisſima, mirari fere ſubit, qui D. Gott. Gerh. Titius necesſitatem pariter atque utilitatem Circulorum in dubium vocando aſſerat, quæ de vaſtitate corporis Politici ſubalternam diſtributionem neceſſario poſtulante dicuntur, illa in Monarchia verisſima eſſe, ſed ad Germaniam malignè applicari; Utilitates verò laudatas vel nullas eſſe vel ſine Circulis rectius obtineri poſſe. *Specim. Juriſpr. Publ. L. V. c. 2.* §. *32. ſeqq.* Quod enim prius attinet, invertimus potius effatum ejus, & perſuaſi ſumus, quod

in Civitate verè Monarchica ejuſmodi diviſionibus, quales Circulares in Germania ſunt, plane non ſit opus, quia in machina, ubi omnia bene inter ſe cohærent, omniaque ab uno principio dependent, motus facile & celeriter peragitur; ſed aliter ſe res habet in Imperio, ubi, cum propter diverſitatem motus, principiorumque moventium varietatem & movendi rationem valde perplexam atq; præpeditam conſilia vix haberent exitum, opus utique erat variis, ut ita loquar, elateribus, quibus motus machinæ tam vaſtæ juvaretur, promoveretúrque. Vane jactari Circulorum utilitates, perperam dictum eſt, & totum imperium aliud teſtatur. Quomodo rectius illæ alio modo obtineri poſſint, id ſi cum Imperii Statibus communicare velit D. Titius, magnam ſine dubio apud bonos omnes initurus eſt gratiam. Interea dum meliora ignoramus merito præſentibus utimur. Equidem non negamus, ortam ex Circulis certo modo Ordinum & negotiorum publicorum diſtractionem, natas hinc ſæpe colliſiones inter membra circulorum, Circulos ipſos, Circulos & Cameram, Judiciumq; aulicum, imo Circulos inter & Auguſtiſſimum Imperii caput, cujus etiam recens exemplum in cauſa Exſecutionis Megapolitano Guſtravicæ habemus; Sed hæc omnia ex ipſo Circulorum inſtituto provenire, nec hodie nec cras perſuaderi nobis patiemur. Aliqua non inficiari poſſumus, (de quibus plura apud Bœclerum *Not. Imp. L. III. c. 2. §. 3.* it Bericht von des R. Reichs Verfaſſung/ in annexis des H. R. Reichs Grund-Veſte/ *p. 101.* Dn. Ludolph. Hugonem *de Stat. Reg. Germ. c. 3. §. 10.*) ſed ferenda hæc & ſimilia incommoda, quæ Imperii noſtri forma non poteſt non producere, & quæ mutare vel tollere omnino non poſſumus, emendare ſaltim ſtudeamus, memores illius: quod propter abuſum uſus rei per ſe utilis & neceſſariæ non ſit tollendus.

CA-

CAPUT SECUNDUM

De Turbatione Circulorum Imperii.

Conspectus.

I. Introitus.

II. Burgundiæ Status antiquus ſub Regibus Francigenis.

III. Comitatus Burgundicus fit pars Regni Arelatenſis & Burgundici.

IV. Redit ad Imperium, & ſubeſt Comitibus.

V. His extinctis, ut Feudum Imperii ad Burgundiæ Duces pervenit.

VI. Inde per nuptias ad Domum Auſtriacam.

VII. Fit Imperii Circulus, de cujus ambitu.

VIII. Quo ſenſu Ducatus Lotharingicus ad eum referatur.

IX. Turbatio Circuli hujus per avulſionem Belgii Fœderati.

X. Turbatio à Reg Galliæ facta per avulſiones Pacificationibus ad Montes Pyrenæos, Aquisgranenſi, Noviomagenſi, Ryſwicenſi confirmatas.

XI. An per has Ceſſiones Imperii jura in terris ab Hiſpano ceſſis extincta fuerint?

XII. Circulus Burgundicus quoad reſidua ſaltim adhuc in Circulorum numero habendus.

XIII Turbatio Circuli Suevici, per partes, quæ Reipublicæ Helvetiorum acceſſerunt.

XIV. Turbationes in Circulo Rhenano ſuperiore.

XV. Turbationes in Circulo Saxoniæ ſuperiore.

XVI. Turbationes Circulorum aliæ ab Exemtionibus & variis alterationibus ortæ.

XVII. Conſilia de redintegrandis Circulis.

XVIII Concluſio Diſſertationis, cum Voto.

§. I.

POſtquam de Circulis in genere quædam, ad indolem & Conſtitutionem eorum facientia hactenus adduximus, nunc etiam de Turbatione eorum, quæ potisſimum præſentis tractationis caput eſt, agemus. Optandum vero eſſet, ut genuinam aliquam & plenam Circulorum haberemus deſcriptionem, unde conſtare poſſet, quales ab initio fuerint, & qui ſtatus provinciæq; ſub quolibet eorum

comprehenſæ & adhuc contineantur. Sed evolventibus monumenta publica hac in re, quemadmodum in multis aliis, in incerto linquimur, & pene ſolis conjecturis incumbendum eſt. Receſſus enim Comitiorum Imperii, in quibus de origine hujus inſtituti & de juribus Circulorum mentio fit, ſicuti variant in collocatione, ita etiam valde generaliter & ἐν πλάτει de omnibus loquuntur, nec diſtincte docent quid vel prioribus VI. circulis comprehenſum fuerit, vel quid mutatum, cum reliqui IV. iſtis accederent; imo in Receſſu Imperii de Anno MDXII. ubi decem circulorum Origo expreſſa eſt, ne verbulo quidem fit mentio eorum, quæ quilibet Circulus ſub ſe comprehenderit, adeoque hac in parte pro cynoſura vix haberi poteſt. Conqueſti fuerunt aliquando ſtatus quidam circuli Suevici, quod non ſpecialis & expreſſa eorum fieret recenſio; ſed conatu prorſus irrito, ceu videre eſt apud Limnæum, *Addit. II. ad L. I. c. 7. p. 97.* Schematiſmos aliquos exhibet idem Limnæus, J. P. L. 1. c. 7. n. 29. & Addition. II. ad L. 1. c. 7. p. 95. ſeqq. quos collegit tum ex Receſſibus Imperii, tum ex Goldaſti Operibus; ſed imperfecti ſunt, atque nævis ſuis laborant. Ut unicum ſolummodo exemplum adducam, in claſſe ſecunda inſeritur circulo Saxonico ſuperiori Groß-Meiſter in Preuſſen und Meiſter in Liefland; quod tamen aperte falſum eſſe ex ſuperioribus conſtat. In claſſe prima Dux Holſatiæ, Lubeca, Hamburgum, Goslaria, Göttinga, urbes ad circulum Saxoniæ ſuperiorem referuntur, quæ notorie ad Interiorem pertinent. Plura hujus generis notata videri poſſunt apud Mulzium, *Repræſentat. Majeſt. Imperat. P. II. c. 18. §. 7. ſeqq.* Quæ cum ita ſint, nihilque certi conſtet, tum de omnibus & ſingulis iis, quæ in circulos recepta, tum de mutationibus multis, quæ ſubinde

Digitized by Google

de in hoc & illo circulo contigerunt, idcirco ubi certitudo haberi nulla poteſt, certiores tantum conjecturas aliquando ſequemur, & maxime turbationes per avulſionem factas conſiderabimus,048 monituri etiam, ſi per temporis anguſtias licuerit, nonnulla de iis, quæ per exemtiones vel alterationes alias aliquando evenerunt.

§. II.

Maxima cum ſine controverſia turbatio contigerit in circulo Burgundico, ab hoc diſcurſus noſtri initium faciemus. Burgundiæ autem alium fuiſſe Ducatum, alium Comitatum forte ſatis conſtat. Ille trans Ararim ſitus & facta A. DCCCLIV. diviſione è Ludovici pii filiis Carolo, tanquam Galliæ pars ceſſit; ſed Comitatus liber (*Franche Comté*,) itidem Burgundicus deinceps dictus, in Lotharii Imperatoris partibus manſit, quemadmodum id colligi poteſt ex diviſione deſcripta à Reginone, Abbate Prumienſi, Sigeberto Gemblacenſi, Paulo Æmilio ac aliis. Poſtquam vero mortuis Lotharii hujus duobus filiis Carolo & Lothario inter Patruos, Carolum Calvum Galliæ Regem, & Ludovicum Germanicum de defunctorum hereditate, imo de toto Lotharii I. regno, vivente licet adhuc legitimo herede Ludovico Imperatore, contentio oriretur, denuo diviſio quædam A. DCCCLX. facta fuit, in qua Comitatus Burgundiæ Gallicis partibus acceſſiſſe videtur, quia metropolis Veſoncium, hodie *Beſançon* cum aliis, in numero eorundem reperitur, Annal. Franc. Bertinian. apud Franciſc. Duchesne *T. III. p. 240.* Sic, qui extra Galliam eſſe debebat, juxta primam partitionem, per ſecundam avaritia Caroli Regis Galliæ, amplificandarum terrarum jam tum ſtudioſiſſimi, eidem additus fuit. Sed poſt obitum Calvi & filii ejus Ludovici Balbi, poſtquam hujus nothi Anno

poſt

poſt octingentesimum ſeptuageſimo nono pacem à Ludovico, Ludovici Germanici filio, reſtituta regni Lotharingici parte, qvam Calvus extorſerat, redemerunt, (qvo de pluribus laudati Annales Bertiniani *l. c. ad d. an.* §. *258.* & Conring de Finibus *L I. c. 6.* §. *3.*) Comitatus etiam Burgundicus ad Germanos reverſus eſt, ex qvo tamen tempore nondum conſtanter in eorum poteſtate permanſit.

§. III.

Hoc enim porro non prætereundum, Comitatum Burgundiæ aliqvando in Partibus Regni Arelatenſis fuiſſe, cujus ut fundamenta jecit arrogantia faſtuqve percitus Calvus, *quo ſcilicet & Regibus ſe dominari gloriari posſit*, teſtante Reginone ad Annum DCCCLXXVII. ita tamen ab initio non niſi ſola fere ex Provincia id conſtitit; ſed Calvo è vivis ſublato Regulus ille Arelatenſis Boſo nonnulla invaſit, qvæ nothorum Caroli ceſſione ex Lotharii regno Ludovico Germanico debebantur, & ex his etiam Comitatum Burgundiæ. Conciliatus deinde Boſonis filius Ludovicus Imperatori Carolo Craſſo Regnum Arelatenſe, & in hoc ſimul Comitatum Burgundiæ feudi beneficio ab eo obtinuit, teſtibus Annalibus Fuldenſibus ad *d. A.* Rebus Germanorum eo tempore, dum Carolus Craſſus Imperio præfuit, dictis in locis valde collapſis, Rudolphus quidam Burgundiæ Comes, condito novo regno Burgundici nomine magnam partem regni, qvod Lotharii qvondam fuerat ad ſe rapuit, ipſumqve Arelatenſe ſic cum eo combinavit, ut duorum regnorum ipſe Dominus Germanici Imperii Jura Germaniæ Regibus vel conniventibus, vel reſiſtere non auſis, plane adſpernaretur. Magnum ſane fuit iſtud ſive Arelatenſe ſive novum Burgundicum Regnum (promiſcue enim modo hoc modo illo nomine inſignitur apud Hiſtoricos) qvippe

pe

pe qvod fines habuit Rhodanum, Ararim, & Vageſum montem; pertinueruntque eo præter Burgundiæ Comitatum omnes Helvetii, Sabaudia, Pedemontium, Gallia Provincialis, Delphinatus, Dominium Presſiæ, Baſilea & Argentoratum, quo de præter Conringium ll.cc. & *L. 1. c. 12 §. 5.* videri meretur B Matth. Kneſebeck. in *Prodromo Juriſpubl. univ.* quo utpote rara eruditione referto ſcripto ut eruditis ſalivam movit, ita orandi publice ſunt ejus hæredes, ut, quō promiſit ille, *Pontificii Arelatenſis Autorem* una cum aliis doctisſimis ingenii monumentis publico ne diutius invideant.

§. IV.

Sic igitur incertis Dominis modo his modo illis Comitatus Burgundicus paruit, donec tandem Otto M. Imperator toto eo Burgundico regno in Imperii poteſtatem redacto (de quo Witikindus Corbejenſ. *L. 2.*) Rudolphi iſtius, quem diximus, poſteris id clientelari jure conceſſerit, quorum ultimus Rudolphus *ἄπαις* (gnavus cognomine) ſive in Henricum ſive in Conradum II. (differunt enim in eo Scriptores) omni jure per ultimam voluntatem id transtulit, *a quo tempore*, ut Sigebertus loquitur, *Burgundia, quæ per annos plusquam centum triginta gentis ſuæ Reges tenuerat, iterum in Imperii provinciam redacta eſt.* Enimvero ita anceps & difficilis fuit Imperatoribus ſemper terrarum earum cuſtodia, ut parum abſuerit, quin poſthæc etiam ferocia quorundam Burgundiæ Comitum optimæ ejus partes cum provincia Imperio iterum ſubtraherentur; ſed reſtauravit res, ducta in uxorem Beatrice Reinoldi præpotentis Comitis filia, Fridericus, Imperator, quem

- - - tellus venientem milite pauco
Agnovit Dominum, ſupplex Regem quoq; facta eſt.

ut Guntherus L. VI. Ab eo tempore Burgundiæ Comita-

 tus

ſus Dominos habuit Comites Imperio ſemper fideles, &, ut videtur, e familia Friderici I. oriundos, de quorum ultimo Ottone *nato è Friderici ſanguine* refert Reuſnerus, quod Johannes Stephani Calenii filius ab eo Comitatum A. MCC-XXXVI. adeptus fuerit. Familiam Comitum Burgundicorum à Johanne deſcendentium Reuſnerus recenſet, quæ deſiit in Johanne & Roberto, absque prole defunctus, *βασιλικῶν Genealog. Auctuar. p. 98.*

§. V.

Supererat Johanna defunctorum Soror, Philippi Longi Galliæ Regis uxor, & ex his filia matri cognominis; hæc desponſata circa initia Seculi XIV. Burgundiæ Gallicæ Duci Ottoni Comitatum Burgundicum tanquam fœmininum feudum, qualia pleraque in regno Lotharingico fuiſſe tradit Kneſebeck l. c. in dotem attulit. Erat hic Otto ex veterum Ducum Burgundicorum Stemmate, ab Hugone Capeto ortum trahens, atque hac ratione cum Ducatu coaluit quidem Comitatus, ut tamen, qvantum ex hiſtoriæ monumentis conſtat, fiduciario jure ſemper ad Imperium noſtrum ſpectarit, qvo jure etiam ſubſtitit, ex quo veterum Ducum Burgundicorum ſtemmate extincto Johannes Francorum Rex Philippo Audaci filio A. MCCCLXI. Ducatum hunc dono dedit, qvo de donationis diplomate apud Schifletium, *Lumin. nov. Salic. ad vindic. Hiſp. lum.* 12. Et facit pro confirmanda noſtra ſententia, quod Bodinus, valde alias Gallicarum partium etiam in hoc argumento ſtudioſus, tradit: *Carolum IV. Cæſarem Philippo Audaci Burgundiæ Duci, prole Comitum maſcula extincta, Burgundiam liberam,* (i. e. Comitatum Burgundiæ) *Imperiali jure fruendam dediſſe. Republ. L. I. c. 9. n. 40.*

§. VI.

Ad Auſtriacam Domum pervenit Comitatus Burgundiæ

A. M-

A. MCCCCLXXVII. per nuptias Maximiliani tum Archiducis, cum Maria, Caroli Audacis filia, unica omnium terrarum, quas Burgundiæ Duces poſſederant, herede, qvibus tamen Galliæ Rex Ludovicus XI. ſtatim Ducatum Burgundiæ bello avulſit, vano prætextu uſus, quod latè oſtendit Chiflet. *Vindic. Hiſpan. c. VIII.* & *Lumin. Salic. XI. & XIII. hac lege a corpore Regni Francici eum olim divulſum, ut deficiente herede maſculo Regno iterum jungeretur.* Pont. Heut. *Rer. Belg. L. I. p. 62.* Barland. *Chron. Duc. Brabant. c. CXLV.*

§. VII.

In Circulorum Imperii numerum, ut jam ſupra dictum; Burgundia cum terris eo pertinentibus, Burgund mit ſeinen Landen/ adſcita fuit primo à Maximiliano in Comitiis Trevirenſibus & Colonienſibus Anno MDXII. vid. *R. I.* §. 2. Repetitum id deinde à Carolo V. MDXXII. Noribergæ in Erklährung des Land-Friedens Tit. II. hernach folgen die zehen Creyß §. 2. Verum ex generalibus iſtis verbis nihil certi exſculpi poteſt, quis ambitus iſtius Circuli Burgundici eſſe debuerit, de quo tamen utique conſtare deberet, ut de turbatione ſuperveniente rectè judicare queamus. Primum in Receſſu Comitiorum Auguſtanorum A. MDXLIIX. declarationem aliquam à Carolo V. additam deprehendimus, quod ſcilicet *Belgicæ* etiam *Provinciæ*, quas juxta cum Burgundia attulerat Maximiliano Maria, eidem Circulo Burgundico accenſeri debeant: Unſer Burgundiſche und Nieder-Erblande/ auch Geldern/ Zütphen und die Utrichiſchen Lande. d. R. I. 5. 6. 7. Vel ut ſpecialius recenſentur in Transactione Burgundica in dictis magnis Comitiis Auguſtanis inter Carolum V. & Imperii ſtatus compoſita, & poſtea A. MDLX. confirmata: Nachbenandte unſer Nieder-Erblande/ nemlich Hertzogthum Lothringen/ Braband/ Limburg/ Lützenburg/ Geldern/ die Graf-

ſchafft Flandern/Artois, Burgund/Hennegau/Holland/ Seeland/ Namur/ Zütphen/ die Marggrafſchafft des H. Reichs/ die Herrſchafft Frießland/ Utrecht/ Oberyſſel/ Gröningen/Falckenberg/Dalheim/Salin/Mecheln und Maſtricht mit allen deren mediate vel immediate zugehöringen und einverleibten geiſtl. und weltlichen Fürſtenthumen/ Graffſchafften / Prælaturen/ Dignitäten/ Frey- und Herrſchafften/ und deren zugehörigen Vaſallen/ Unterthanen und Verwandten/ apud Limnæum *J. P. L. V. c. 2. §. 50.* Latinis verbis concepta habetur apud Chifletium, *Alſat. vindicat. c. X. p. 62.* verbis: *Dictæ noſtræ Provinciæ patrimoniales Belgicæ, nominatim Ducatus Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgi, Luxenburgi, Gelriæ; Comitatus Flandriæ, Arteſiæ, Burgundiæ, Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Zutphaniæ; Marchionatus Sacri Rom. Imperii; Dominia Friſiæ, Ultrajecti, Tranſiſalaniæ, Groningæ, Falcomontis, Dalhemii, Salinis, Mechliniæ & Trajecti, una cum omnibus eorum appendicibus, & incorporationibus, mediatè & immediate, tam Eccleſiaſticis quam Secularibus Principatibus, Prælaturis, Dignitatibus, Comitatibus, Baroniis & Dominiis ad ea pertinentibus, Vaſallis & appendicibus &c.* Tranſactione ergo hac id conſecutus eſt Imperator, ut Circuli Jure, quoad defenſionem & alia favorabilia eæ terræ fruerentur, una cum reliquis Imperii Circulis, qvod vero ad onera, regulariter non niſi tantùm contribueret, qvanta alias duorum ad Rhenum Electorum Principum contributio eſſe poteſt, ſolo eo caſu, qvo contra Turcam Hungariæ & Auſtriacis terris ſuccurrendum, excepto, qvo non minus pro ſubſidio præſtare tenebantur, qvam tres Electores. *Tranſact. n. XV. ſeq.* In reliqvis ab omni Jurisdictione & oneribus pronunciantur exempti, unde etiam limis ſemper oculis Imperii ſtatus eam adſpexiſſe conſtat ex iis, quæ apud Limnæum inveniuntur *l. c. L. V. c. 2. n. 50.* & *T. I. Add.*

Digitized by Google

l. Add. ad l. 5. c. 2. ubi rationes Ordinum Imperii diſſentientium adducuntur, quibus hoc præcipue urgent, Ducatum Geldriæ, Comitatum Zurphaniæ, & Trajectinam regionem hac transactione in Circulum Burgundicum relata pari immunitate donari cum reliquis Burgundici Circuli membris, quum tamen antea pro membris Weſtphalici circuli habiti, omnia Imperii onera æque ac alii tulerint *p. 698. ſeqq.* Et ita revera hoc facto ejus aliqua turbatio contigit, de qua infra pluribus.

§. IIX.

Satis hactenus de Burgundiæ veteri & novo ſtatu. Cæterum quum *Ducatus Lotharingicus* etiam partibus circuli Burgundici & hereditariis Auſtriacæ domus terris in Transactione laudata Burgundica accenſeatur, igitur quæ ejus ratio ſit, ut dubiis non relinquatur locus, paucis monere neceſſum putamus. Lotharingiæ Regnum quale fuerit antiquo tempore, quo poſt obitum Lotharii II. Calvum inter & Ludovicum Germanicum diviſionem factam fuiſſe memoravimus, prolixius nunc recenſere inſtituti ratio non patitur. Hoc tamen liquido conſtat, tam latè id olim patuiſſe, ut quicquid ſupra Burgundicum ſ. Arelatenſe Regnum intra Rhenum, Moſam, ac Scaldim continetur, id ei accenſitum fuerit, imo ipſam Campaniam Gallicam Cæſares per aliquod tempus id adjunxiſſe probat Chifletius & ex eo Conring. *de Fin. L. II. c. 26. §. 3. ſeqq.* Multa de Lotharingico hoc regno jam a Friderici II. Imperatoris ætate Galliæ Reges decerpſerunt, de quibus, quia jamdudum Imperii juribus ſubducta, fuſius disquirere nunc non vacat. Duces Lotharingiæ, quorum familia ſupereſt, nonnulla ex iſto Regno hodie adhuc tenent, quæ partim Juris Germanici ſunt, partim vero (quo etiam referendus Ducatus Barrenſis, ſi pauca excipias, fruſtra contra Blondellum

Digitized by Google

pro Imperio contendente Chifletio) Galliæ Reges feudi Dominos agnoſcunt; adeoque non obſtante notisſima ea pactione Norimbergenſi A. MDXLVII. qua *liber & non incorporabilis Ducatus* appellatur, ut in tabulis eſt, apud Limnæum *L.V.c.2.* & Conring. *l.c.c. 27. n. 18.* Lotharingia hæc Ducalis hodienum ad Imperium pertinet, quod etiam non negat Monzambanus, tametſi *Ducem hunc rationes ſuas ob ſitum ditionum fere a Germania ſeparatas habere ſcribat c. II. §. 9.* fruſtra ideo notatus à Pacifico, Obrechto & Kulpiſio in *Notis ad h. l.* ſed recte excuſatus à Dn. Thomaſio *in Scholiis* ad eundem *p.122.* Ex his apparet, Carolum V. Imperatorem in Burgundica Transactione per Ducatum Lotharingicum non hunc, qvi eo tempore, ut dixi, proprios ſuos Duces habebat, nec eas regni Lotharingici partes, qvæ ad Galliæ Reges ſpectabant, intellexiſſe, ſed qvæ mediantibus ferè connubiis primum ad Duces Burgundicos & deinceps per nuptias Maximiliani cum Maria ad Domum Auſtriacam pervenerunt, qvæqve in pactis aliqvoties indigitatis expreſſe & ordine recenſentur.

§. IX.

Poſtqvam igitur per hactenus adducta manifeſtum eſt, qvid circuli Burgundici nomine Maximiliani & Caroli V. tempore ad Imperium pertinuerit, jam facilè fuerit, de Turbationibus, qvæ in iis partibus contigere, certi aliqvid pronunciare. Maximam igitur cladem turbationemqve ſenſit iſte circulus à defectione ſeptem nobilisſimarum potentiſſimarumqve Provinciarum, Hollandiæ, Seelandiæ, Geldriæ, cum Comitatu Zutphanienſi, Weſtfriſiæ, Trajectinæ Regionis, Tranſiſalaniæ & Gröningenſis ditionis, qvæ cum circa finem ſeculi decimi ſexti Hiſpano ſe primum ſubduxerint; ad ſe tractis etiam nonnullis ex Flandria, Brabantia & Limburgo, de qvibus vide Dn. Cellar. *Geogr. nov. c. V. p. 92 94-98.*

dein-

Digitized by Google

deinceps etiam nulla Imperii noſtri jura agnoſcere voluerunt, qvamvis aliqvando de reditu ad Imperium deliberatum fuiſſe conſtet ex Epiſtola Grotii, id omnibus modis diſvadentis, in Opuſculis poſthumis ab Iſa. Grutero edit. *p. 68.* Conſenſit tandem A. MDCXLVIII. in plenam eorum libertatem non ſolum ipſe Hiſpaniæ Rex Philippus IV. & præterea conceſſit illis *Majoratum Sylvæ Ducenſis, cum omnibus dependentiis, Marchionatum Bergozomenſem, Urbem & Baronatum Bredanum, urbem Trajectinam, Comitatum Vronhovium, urbem Graviam, & ditionem Cuykiam, Hiilſtam, cum Balliviatu Hulſta, & Ambachtia Hulſtenſi, ut & Ambachtia Axelia, cum fortalitiis in ditione Waſia, cum aliis pluribus urbibus in Brabantia & Flandria; Tractat. pacis Hiſpano Belgicis, art. I. §. III. Monaſterii A. M DCXLVIII.* ſed & Imperator & Imperium in iisdem Tractatibus pacis Monaſterienſis ſuis ſuffragiis facta Hiſpani confirmarunt; de qvibus videri poſſunt pluribus Londorp. *Tom. VI. Act. publ. L. III. c. 218.* Conring. *d. l. L. II. c. 28. §. 48. ſeqq.* Theat. pacis *Tom. I. p. 6.* Et ex hoc tempore ab Imperii circulo Burgundico avulſi Fœderati Belgii Ordines Rempublicam peculiarem novamqve, amiſſo omni in eam veterum dominorum jure, condiderunt.

§. X.

Non autem hoc modo turbari circulum Burgundicum ſatis erat, ſed Galli etiam ſucceſſu temporis ipſi in iis partibus, qvæ Belgium regium audiunt, qvamplurima detraxerunt. Et primum qvidem per pacem A. MDCLIX. *in Inſula à Phaſianis dicta* compoſitam avulſerunt in *Comitatu Arteſienſi* urbes Atrebatium, Hesdinum, Bapalmam, Betunam, Lilerium, Lendium cum Præfecturis ſuis omnibus, Boſſiam una cum Baillivatibus, adeoqve totam penè Arteſiam; In Provincia & Comitatu *Flandrenſi*, Grevelingam,

Digitized by Google

gam, Fortalitium Philippinum, Sluſam & Halovinam, Bourburgum, Fanum Divi Venantii cum omnibus Dominiis & pertinentiis; quibus adjecta A. MDCLXII. Dunkerka à Rege Angliæ redemta; In Comitatu *Hannoniæ* Landrecæjum, & Qvercetum Avennamqve, Mariæburgum, Philippopolin, cum ſuis Præfecturis &c. In Ducatu Luzenburgenſi, Theonvillam, Mommedium, Danvillerium cum ſuis pertinentiis, Præfecturam Ivoſii, Caſtrum Chaventii, Caſtellionum cum ſua Præfectura, Stationem Marvillii cum Præfectura. Et qvidem hæc omnia ab Hiſpanis ita ceſſa ſunt Gallo in perpetuum, ut ne à Rege Catholico, & Succeſſoribus ſuis aut alio Principe de ſua Domo, aut alio qvocunqve ullatenus vel per viam juris, vel per viam facti in eorum poſſeſſionibus unqvam turbetur aut inqvietetur, qvæ verba ſunt Tabularum Pacis *Art. XLI.* Qvæ vi Martis in dicto Circulo erepta Rex Galliæ Hiſpano tum reſtituerit ut recenſeamus non opus eſt, videri tamen poſſunt in ipſo Inſtrumento Pacis *artic. XLV. XLVIII.* exhibito à Pellero *Theatr. Pacis T. I. p. 445.* Galliam his partibus obtentis invaſit plurium potiundorum cupiditas, ut plerumqve

Qvo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aqvæ.

Anſam ad hæc dabat mors Philippi IV. qvæ cum Anno MDCLXVI. contingeret, Rex Chriſtianiſſmus Brabantiam, Mariæ Therèſiæ Conjugis nomine, tanqvam devolutionis jure ipſi debitam vindicaturus, bello Belgium Regium adortus eſt, nec qvievit ante, qvam Carolo-Regium, urbes Binchium, Athum, Aldenarda, Cortracum (qvæ tamen per Pacem Neomagenſem ad Hiſpanum reverſa) Duacum, Fortalitium Scorpæum, Tornacum, Inſulæ Armentariæ, Montes & Vurnia cum univerſo Tractu ipſarum Ballivatuum, Caſtellaniarum, Territoriorum, Præfecturarum, & pertinentiis atqve annexis qvibuscunqve in Pacificatione

Aqvis;

Aqvisgranenſi Anno MDCLXVIII. celebrata perpetuo jure traderentur. vid. *Tractat. Pac. art. III. & IV.* dicto Pelleri *Theatro Pac. T. III. p. 506.* Occupaverat enim Galliæ Rex Comitatum liberum Burgundiæ, ſed hac vice per pacem is Catholico Regi reſtitutus eſt *Art. V. l. c. p. 512.* Ex quo autem denuo deinceps Gallicus Mars Belgium infeſtavit, non integer ſolum Burgundiæ Comitatus (qvibus artibus id factum exponit Gilb. Burnet. *Itinerar. Ep. I. pag. m. 59.*) ſed & loco Belgii plurima in Gallorum manus pervenerunt, è quibus inita Noviomagi pace A. MDCLXXIIX. & Comitatus cum Civitate Biſontio ſeu Veſontio, & urbes plures munitisſimæ, aliaqve loca in Belgio, Valencena, Bochanium, Condatum, Vergia Mennia, Cameracum, Fanum St. Hadomari, Aria', Ipris, Viroviacum, Waſtena, Poperinga, Balliſtum, Casletum, Bavacum & Malobodium cum Ballivatibus, Caſtellaniis, Territoriis, omnibusqve pertinentiis & connexis Gallus, reſtitutis aliqvot, qvæ modo ſupra memoravimus, locis, Aqvisgranenſi pace acqviſitis, jure perpetuo ſceptro Liligero ſubjecit, de quibus videantur *Tabb. Pacis Art. XI. ſeqq.* apud Pellerum *Theatr. pac. loc. cit. p. 680. ſeqq.* Non diu autem & hæc Pax firmo ſtetit talo, ſed Anno MDCLXXXIV. Luzenburgum poſt operoſam obſidionem Gallus ſubjugavit, & poſtqvam rupto Armiſtitio bellum A. MDCLXXXIX. adverſus Hiſpaniam declaratum eſſet, multa alia loca Belgio fœderato decerpſit, è qvibus tamen pleraqve Ducatus Lucenburgenſis una cum Comitatu Chinenſi, nec non Carolo Regium, Montes, Athum, Cortracum reddita Hiſpanorum Juribus hodienum parent, uti videre licet in *Inſtrumento Pacis Ryſwvicenſis* pasſim obvio. Ex adductis hiſce facile jam judicari poteſt, qvid Burgundico huic Circulo in terris iis etiam per Gallorum victricia arma ſit ereptum. Rem paucis complectitur. Dn. Cellarius, cujus verba adducere non pigrabimur: *Belgium Gallorum*, ait,

E com-

Digitized by Google

comprehendit Arteſiam totam, majorem ac meridialem partem Hannoniæ, partem Flandriæ ad occaſionem & meridiem protenſam, Ducatus Luzenburgici partem Auſtralem pace Pyrenæa conceſſam. Ex quibus facile colligendum eſt, quæ Hiſpanis ex Belgicis Provinciis relicta ſint, nempe Flandriæ pars ad Ortum & Septentrionem: Brabantiæ plurima; pars Hannoniæ Borealis: Namurcenſis Comitatus, partes Limburgiæ & Geldriæ, Lucemburgi reliquum cum metropoli l. c. p. 87. ſeq.

§. XI.

Satis prolixe & prolixius forte qvam opus erat de avulſionibus Gallicis in circulo Burgundico. Jam adhuc illud expediendum reſtat, an ceſſionibus iſtis Imperii jura in hoc Circulo, qvæ latius ex Wehnero, Gilmanno, Mindano & aliis adduxit Conringius *l. c. l. L. I. c. 28. § 43.* Hiſpaniæ Rex ſubvertere potuerit, an vero ea Imperio ibi locorum adhuc exiſtant integra & intemerata? Video ſane nonnullos in priore eſſe ſententia, adeo, ut dictum iſtum Circulum Imperio plane exemtum eſſe credat Becman. *Hiſt. orb. p. I. c. 6. Sect. I. §. V. n. 2. & 11. p. 199.* Enimvero quia ceſſio iſta nullo cum Imperii conſenſu facta Rex Hiſpaniæ autem plus juris in alium transferre non potuit, qvam ipſe habuit, ideo merito conceſſio iſta ſalvis Imperii legibus, qvæcumqve etiam illæ ſint, facta intelligitur, ut taceam aliquam multa ex iſtis Circuli Burgundici terris etiam fiduciario jure Imperio ſpecialiter obſtricta eſſe, ad qvarum alienationem eo magis conſenſu opus fuit, qvo certius conſtat, duplex vinculum uno fortius ligare. Poteſt etiam hoc eſſe argumento, qvod, qvantum qvidem nobis conſtat, ex Imperii Matriculis Circulus iſte nondum vel integer vel quoad partes Gallo ceſſas extinctus ſit, ſed cùm in Camerali, quam Fiſcalis præteritis Comitiis A. MDCLIII. produxit, tum in Imperiali, qvæ Comitiis adhuc

Digitized by Google

huc durantibus cum moderationibus prodiit, prout apud Mulzium *l. c. n. 129.* videri poſſunt, reperiatur. Imo vero in Inſtrumento Pacis Cæſareo-Gallicæ A. MDCXLVIII. diſerte cautum eſt, ut *Circulus Burgundicus ſit maneatque membrum Imperii, poſt controverſias inter Galliam Hiſpaniamque ſopitas Art. III.* Quibus pacti verbis, ut valde offenſi fuerant Hiſpani, ceu videre eſt in proteſtatione apud Chifletium, *Alſat. vindic. c. XII.* ita contra Gallos faciunt ad oſtendendum, ipſos in eum eventum promiſiſſe, ut qvocunqve modo deinceps, etiam interventu ceſſionis qvarundam terrarum (qvæ ſecuta) pax inter ſe & Gallos componeretur, in ipſis Circuli Burgundici terris Jus Imperii ſartum tectumqve manere debeat. Ab hac igitur jurium reſervatione qvum pactione nulla contraria unqvam diſceſſum fuerit, inde firmiter colligitur, eam adhuc robore ſuo gaudere & contra Gallos ſecure adduci poſſe, ut adeo propter hæc & alia non videamus cauſam, qvare cum Dn. Coccejo, in hac qvæſtione τὸ ἀπέχειν amplecti debeamus *Jurisp. publ. c. V. Sect. 3. §. 40.* Imo tollitur omne plane dubium, ſi cogitemus, Regem Galliæ per Legatum ſuum in Comitiis non ſemel declaraviſſe, ſe eas partes non aliis, qvam iisdem conditionibus, dependentiis & obligationibus erga Imperium, qvibus à Corona Hiſpanica poſſeſſæ fuerunt, poſſidere velle, ut videre licet ex Scriptis apud B. Fritſchium, *Annot. ad Inſtrument. Pac. Cæſareo Gall. p. 648. p. 666. ſeqq.* Aliud forte dicendum, ſi de utilitate & commodis Imperii qværatur, & an è re illius ſit, ut ad fruitionem Jurium illorum, qvæ per Auguſtanam pactionem A. MDCXLVIII. Hiſpani ab Imperio conſecuti ſunt, admittatur Gallus, an potius magis conducat Imperio, ſi retento ſolo dominii directi jure in cæteris res ſuas ſibi ſeparatas habere Rex Galliæ jubeatur,

tantillo auxilio, qvod ab eo ſperari poſſet, carè fortaſſis redimendo, & non niſi difficulter abtinendo, tantiſper poſthabito, donec facie rerum aliqvando mutata jura Imperii majore cum utilitate recuperari poſſint? Sed qvæſtionis hujus deciſionem ab aliis potius, qvam à nobis qvidem hac vice expectari volumus, præſertim qvum à præſente inſtituto noſtro ſit alienior.

§. XII.

Qvod ea attinet, qvæ Hiſpaniarum Regi in hoc Circulo ſuperſunt, vix dubio locus eſt, qvin priſtino jure adhuc ad Imperium ſpectent; qvum nunqvam hactenus Hiſpaniæ Reges id detrectaverint, ſed potius hoc nomine ſuperioribus annis adverſus Gallos ab Imperio anxiè opem flagitaverint, & data Imperatoria reſolutione ex his cauſis: Weil ernandter Burgundiſcher Craiß zu alle denjenigen/ was zu Erhaltung des Ruheſtandes im H. R. Reich und deſſen Auffnehmen gedeyen mag/ würcklich concurriret/ auch auff ein neues zu denen übrigen Reichs-Anlagen ſich angebieten thut/ A. MDCLXXVI. impetraverit, apud Fritſchium *l. c. p. 671.* Taceo, qvod in præſentibus Comitiis hujus Circuli nomine Hiſpaniæ Rex, ut Dux Burgundici Circuli, Legatum ſuum, Henricum Neveforſium, habuerit, & ſucceſſurus in Carolo II. locum præſens earum terrarum detentor Dux Andegavenſis habere voluerit, adeò, ut A. MDCCI. menſe Auguſto eum Ratisbona abigere fuerit opus Monatlicher Staats-Spiegel/ *Menſ. Auguſt. p. 36. ſqq.* Atqve hac ratione, ut Belgium in Hiſpanicum & Gallicum diſtingvunt Geographi moderni, ita facile etiam Circulum Burgundiæ duplicem Gallicum & Hiſpanicum pro uno Burgundiæ qvondam Ducis habere poterimus.

§. XIII.

Ordine nunc etiam reliqvos percurrendo Circulos,

ſi

Digitized by Google

ſi qvid iisdem aliqvando avulſum, id breviter adnotabimus. Et qvidem Franconico, Bavarico, Rhenano Electorali atqve Auſtriaco qvidqvam, qvod alicujus momenti ſit, decerptum non meminimus; ſed de Svevico idem forte non erit dicendum, qvippe in qvo multa deprehendimus, qvæ hodie Helvetiorum (qvos Anno MDCXLIIX. manumiſſionem impetraſſe notum eſt ex Inſtrum. Pacis Cæſareo-Svecic. *Art. VI.* & Cæſareo-Gall. *LXI.*) Reipublicæ acceſſiſſe videntur. Ita non eſt dubium, qvin ipſa Schafhuſia qvondam ad hunc Circulum pertinuerit; & refert Goldaſtus, *quod in Comitiis Wormatienſibus A. MDXXI. poſtquam veteres Helvetiorum Pagi & Ordines privilegiorum ſuorum & immunitatum confirmationem ab Imperatore Carolo V. obtinuerunt, qui immunitatem & exemtionem demonſtrare non potuerint, in Matriculam Imperii cum aliis ſtatibus ſub indicto cenſu relati fuerint, & quidem in CIRCULO SUEVICO Epiſcopi Conſtantienſis & Curienſis, Archi Abbas Sancti Gallenſis; Abbates Schafhuſianus, Steinenſis ad Rhenum, Peterſhuſanus, Crucilinganus, Eremitanus, ſive Einſidelenſis, S. Johannis in Turſalia; Civitates Conſtantia, Schafhuſia, Sancti-Gallum, Replic. pro Imperio c. IV. p. 436.* Ex recenſitis his qvum multi Imperii juribus ſe hodie ſubtrahant, & communi cum tredecim Cantonibus libertate ac immunitate gaudere velint, qvemadmodum cognoſcere licet ex inſpectione Matricularum à Mulzio exhibitarum *l. c. p. 585.* in qvibus ex omnibus à Goldaſto recenſitis non niſi Epiſcopus Conſtantienſis conſtans Circuli Svevici membrum reperitur, dubitari tamen poſſit, an illa in Monaſterienſi Pace *Art. VI.* Cantonibus indulta libertas ad Socios eorum & Confœderatos qvosvis extenſa eſſe debeat, qvum in re tanti præjudicii ad nos expreſſos interpretatio beneficiorum, qvæ alias ſtricti juris ſunt, trahenda vix

Digitized by Google

videatur; Et hoc qvidem eo magis, qvod non deſint Juris publici Doctores, qvi exiſtimant, *plus ipſis Cantonibus Weſtphalica Pace ſine ulla neceſsitate datum, quam fortè exegerint, quum illis à Cameræ Jurisdictione eximi ſatis fuiſſet, ſalva Imperii Majeſtate. Imo dubitari adhuc poſſe, quid ab illis poſtulatum, aut illis datum ſit, & annon illa poſſeſsionis, (ſc. plenæ libertatis, de qua Inſtrumentum Pacis loquitur) confirmatio multum diverſa ſit à Jurium remisſione, quam omnimodam Helvetii inde ſibi conceſſam acquiſitamque cauſantur.* Furſtener. *de Suprematu, c. XXXII.* Buckiſch. *Obſervat. ad Inſtrum. Pac. dict. art. pag. 520.* Faciunt huc, qvæ habet Dn. Henniges: *Patet ex tota*, inquit, *Sanctione, quod de Helvetiorum posſeſsione plenæ libertatis & exemtionis ab Imperio conſtituitur, id ad litigioſam Jurisdictionem reſtringendum eſſe, & Helvetiorum gratiæ & precibus datum, ne poſthæc neque in Camera, neque Imperatoria Aula posſint conveniri, neque aliud forum præter propria ſua dicaſteria teneantur ſequi. Quo Privilegio conceſſo Helvetii non penitus manumisſi ſunt, aut abdicati, ſed ſtylus eſt à multis ſeculis uſitatus, ut illa membra Imperii, quæ præ aliis inſignia, privilgia & uſum libertatis indulgentia Cæſarum habent, in plenæ libertatis poſſeſsione eſſe dicantur, & nullatenus Imperio ſubjecta. Annot. ad Beckeri J. P. L. I. c. 2. p. 49.*

§. XIV.

Ordo nos ducit ad Circulum Rhenanum Superiorem, cui qvantæ partes deceſſerint Seculo proximè elapſo, qvum in vulgus ſit notum, nobis hic licebit eo eſſe brevioribus. Primum igitur pace Monaſterienſi A. MDXCXLIIX. Epiſcopatus Metenſis, Tullenſis & Virodunenſis cum urbibus cognominibus & diſtrictibus, tam tum à Rege Henrico II. occupatis; item oppidum Briſacum, cum Villis eo pertinentibus; Jus præſidii in caſtro Philippoburgenſi, Land-

Landgraviatus Superioris & Inferioris Alſatiæ, Sundgovia præfecturaque provincialis decem Civitatum Imperialium in Alſatia ſitarum, ſalva tamen immedietate, Coronæ Gallicæ ab Imperatore & Imperii Ordinibus omni jure & ſuperioritate conceſſa fuerunt, *Inſtrument. Pac. Cæſareo Gall. §. LXXI. ſeqq. it. § LXXXVII.* Deinde per pacem Neomagenſem, poſtqvam juri ſuo in dictum caſtrum Philippoburgenſe renunciaverat Rex Galliæ, Friburgenſe Oppidum, cum pertinentiis obtinuit, *Inſtr. Pacis art. V.* Qvod tamen una cum Briſaco per pacem Ryſvvicenſem ad Domum Auſtriacum reverſum eſt, *Art. XIXX.* Quomodo obtentu ſupremi in prædictas Epiſcopatus Dominii feuda qvoqve, qvæ Principes Imperii, aliiqve ſtatus ab iis recognoſcunt, & extra Diſtrictus illos ſua ſunt, Coronæ ſuæ jungere, decemqve Imperii in Alſatia Civitates Jurisdictioni ſuæ ſubjicere conatus fuerit Rex Galliæ, id latius videri poteſt ex ſcriptis & actis publicis ap. Fritſchium *ſub fin. annotat. ad Inſtrum. Pac. Oſnabrugo Monaſter. ſub tit.* Bericht/ was wegen der Metz Tull und Verduniſchen Lehn-Sachen vorgegangen ꝛc. & apud Londorpium, *Tom. IX. act. publ. c. 27. §. 65. p. 788. ſeqq.* nec non apud Pfeffinger. *Vitriar. illuſtrat. ad II. tit. 6. p. 30.* Demum concluſa pace Ryſwicenſi A. MDCXCVIII. Art. XVI. Argentoratum, una cum omnibus dependentiis in ſiniſtra parte Rheni ſitis Coronæ Gallicæ in perpetuum conceſſum, ac ſimul decem Civitates Imperiales Alſatiæ ab Imperii Jurisdictione exemtæ fuerunt. Magna ſane hæc non unius Circuli, ſed totius Imperii vulnera, qvæ niſi commoda occaſione emergente iterum ſanentur, vix erit, qvin ſinceras etiam partes trahant ac tandem prorſus lethalia nobis exiſtant. De Velontio ſeu Biſantio, Burgundici Comitatus metropoli olim etiam ad hunc Circulum relata, non operæ erit pretium pluribus hic

repe-

repetere, qvomodo A. MDCLIV. hæc olim Imperii Civitas publico cum conſenſu Hiſpaniæ Regi in vicem reſtituti munimenti Franckenthalenſis transcripta fuerit, *vid. Addit. ad Limnæum II. ad L. VII. c. 6. p. 103. ſeqq.* Knipſchild. *de Civit. Imper. L. IV. c. 1. n. 19. p. 1008. Diar. Europ. ad MDCLXIIX. f. 145.* deleta ex Imperii Matricula in Comitiis Ratisbonenſibus A. MDCLXIV. teſte Becmanno *Hiſtor. Orb. terrar. p. I. c. 6. §. 2. n. 26. p. 280.* Lotharingiæ Ducatus cum in vetuſtioribus Matriculis etiam huic Circulo annumeretur, vid. Cammer-Gerichts-Ordn. *A. MDVII. Tit. XXII.* und Erklährung des Land-Friedens *A. MDXXII. Tit. 2. §. 8.* conf. Limnæus *J. P. l. c. n. 12. & Add. I. p. 886.* conſtitutum erat totius Regni Lotharingici antiquitates, ut Burgundici, excutere. Sed prohibet argumenti præter opinionem creſcentis prolixitas, & ſatis erit nobis, hac vice pauciſſimis indicare, quod turbatis quantumvis in hac Imperii parte Lotharingicorum Ducum à Gallo quondam rebus, Ducatus tamen ille ab Imperio avulſus non ſit. Ex quo enim nupera pace Ryſvvicenſi, *Art. XXIIX. ſeqq.* Dux Lotharingiæ reſtitutionem ex voto obtinuit, dubium etiam plane ſupereſt nullum, reſtaurata ibidem eſſe Imperii jura, & ad præſtationes Caſſæ hujus Circuli inferendas Ducem teneri, ad quæ in Transactione Noribergæ A. MDXLII. inchoata & Spiræ Anno ſequente conſummata ſe quondam adſtrinxit. Tabulæ ipſæ apud Conring. *de Finibus L. 2. c. 27. §. 19.* nec non Chifletium *Comment. Lotharienſ. c. 9. & 12.* idiomate Germanico apud Limnæum *loc. cit.* & Mulzium *l. c. p. 2. c. 6. §. 6.* habentur, ubi huc ſpectantia pluribus videri poſſunt. Denique Epiſcopos Serunenſem in Valeſia, Genevenſem & Lauſannenſem, item Civitates Baſileam & Mulhuſium olim ad Rhenanum hunc Circulum pertinuiſſe notiſſimum eſt, & conteſtare poteſt ex Goldaſto, *in*

Replic.

Replic. ap. Conring. *L. II. c. 25. §. 23.* Sed hodie partem Corporis Helvetii faciunt, quo jure quave injuria colligi poteſt ex dictis ante ad Circulum Suevicum. §. XIII. collat. *Annotat. ulterior. ad Conring. L. II. c. 21. §. 23. p. 44.*

§. XV.

Reſtat Circulus Saxonicus Superior, ad quem pertinuiſſe aliquando Civitates Pruſſicas, Dantiſcum & Albingam notiſſimum eſt, nobis etiam ſilentibus. Ita enim de Dantiſco refertur, quod in Comitiis Wormatienſibus A. MCCCCXCV. pro Imperii Civitate habitum fuerit, & conſtat ex Lehmanno, hoc nomine pro cenſu illi tum temporum 600. florenos indictos, *Chron. Spir. L. IV. c. 5.* Negari etiam non poteſt, quod utraque Civitas diverſis Imperii Matriculis inſerta huic Circulo adſcribatur, ut in moderirten Anſchlag zu Wormbs A. MDLI. item Anſchlag-Regiſter A MDXXI. ad MDLXXVI. & Anſchläge der Herren Moderatoren in Wormbs A. MDLVIII. apud Limnæum *J. P. IV. 7.* Imo in Conventu Circulari Guterboccenſi de A. MDXLIX Deputati Ordinum inter alia, quibus Circulum Saxoniæ ſuperiorem gravari putarunt, allegant quoque harum duarum Civitatum à corpore ſuo avulſionem: Zu dem ſo werden die zwey Städte / Dantzig und Elbingen nicht allein dem H. Röm. Reich / ſondern auch dieſem Ober-Sächſiſchen Creyß entwendet / und an die Cron Pohlen / und dazu das Cloſter Rittershauſen in den Nieder-Sächſiſchen Creyß gezogen / apud eundem l. c. Addimus his etiam illud, quod Fridericus Saxonicus, Ordinis Teutonici Magiſter A. MDIX. in Comitiis Wormatienſibus iſtas Civitates propter defectionem ad Regem Poloniæ accuſaverit, quo de inter alias Venator von Teutſch. Ritter-Orden *L. II. c. 14. p. 210.* Et hæc quidem ita ſe ſe habent, nec dubium eſt, quin aliquando maxime in turbis illis belliſque cum Teutonici Ordinis Magiſtris ad Imperii Germanici partes ex veteri jure Civitates illæ inclinarint; ſed an Imperii Juriſdictionem conſtanter iis temporibus agnoverint, & Circularia onera, tanquam illius Circuli membra, ſuſtinuerint, ut ex adductis vix liquet, ita nihil certi eſt, quo id probare ſatis valide poſſimus. Sola enim in Matriculam relatio parum probat, præſertim cum de præſtationibus onerum actualibus & perpetuis nulla nobis ſuppetant teſtimonia, & tempore Comitiorum Wormatienſium, quo ad Imperii tribunal vocatas

Digitized by Google

tas teſtatur Venator, Polonorum Regi paruerint, cui per fœdus Anno MCCCLIV. initum, & pace inter Polonum Ordinisque Magiſtrum A. MCCCLXV. conſtituta firmatum, ut membra Reipublicæ Polonicæ dudum acceſſerunt, queis de pluribus Jo. Angel. Werderhagen, *Rerumpubl. Hanſeat. part. III. c 24* & Venator *l. c. c. X. ſqq.* Deniq;, ſi quid utiq; adhuc juris Imperio in haſce urbes ſuperfuit, id ſine dubio cum ſpe recuperandi evanuit, ex quo A. MDXXV. ex pactis cum Alberto Brandenburgico, ultimo Ordinis Pruſſici Magiſtro initis Poloniæ Regibus & Regno ſubjectæ, & ab Imperio avulſæ fuerunt, ut poſt Polonicos & Pruſſicos Scriptores etiam Chytræus, *Saxon. L. I. f. 14. & XI. f. 187. ſeqq.* late refert.

§. XVI. Præcipuæ ſunt hæ turbationes, quæ per omnimodam avulſionem Imperii noſtri Circulis contigerunt; præterea tamen aliis adhuc modis non parum turbarum ſubinde in iis datum fuit, quos breviſſimis quidem, cum prætermittere non liceat, nunc etiam ſignificabimus. Ac (I.) quidem turbatio illa aliqua eſt, quando quæ ab initio ad Circulum certum hunc vel illum relata, deinceps ad alium tracta ſic non quidem a toto Circulorum corpore avelluntur, loco tamen quaſi moventur, & transponuntur. Eveniſſe id ipſum Circulo Weſtphalico quoad Geldriam & Ultrajectum diximus jam ſupra §. VII. & patet inter alia ex verbis Statuum Imperii, in rationibus Imperatori oppoſitis: Zudem/daß Geldern und Utrecht in allen Außtheilungen der Creyße in dem Niederländiſchen Bezirck begriffen/ehe ſie in den Burgundiſchen gezogen worden apud Limnæum *I. Addit. ad Lib. V. c 2. p. 700.* Ipſe etiam Carolus V. Imperator in Tranſactione Burgundica An. MDXLIIX. fatetur: Unſere Lande ſollen einen beſondern Creyß / der Burgundiſchen Erb-Landen Creyß genandt/haben/unangeſehen / daß etzliche derſelben hievor etzlichen andern Creyſſen ſeynd zugerechnet worden / ap. eund. *J. P. L. V c 2.* Simile quid de Circulo Saxoniæ ſuperioris teſtabantur Deputati in Conventu Juterbocenſi A. MDXLIX. conquerentes, daß das Cloſter Rittershauſen aus dem Ober-Sächſiſchen in den Nieder-Sächſiſchen Kreiß gezogen ſey/ap eund. *L. IV. c. 7.* An Haſſiæ idem contigerit, ut e Circulo Saxonico illa migrarit ad Rhenanum, ceu quidem Dn. Coccejo *l c. c IV. §. 9.* placuit, nos affirmare non audemus, quia nunquam oſtendi poterit, Haſſiam, ex quo in Circulos Imperium diviſum, Saxonici Circuli partem fuiſſe.

Porro

Digitized by Google

Porro (II.) Turbæ in Circulis non ſemel inde natæ ſunt, quod propter dubios Circulorum limites modo in hunc, modo in illum ſtatus & membra aliqua vocata fuerint, quo de R. I. An. MDXLIIX. Und nachdem etzliche Creyß für beſchwerlich angezogen/daß ihnen etzliche Stände aus ihren in andere Creyß gezogen worden / ubi diſpoſitum, ut ſi qui hoc ex capite gravatos ſe ſentiant, trium menſium ſpatio adverſus turbantes & extrahantes in Camera actionem inſtituant, §. 49. Exempla adducit Limnæus de Comitatu Ambergenſi; & Abbatia Keiſersheim, quorum de illo Rhenanus Electoralis & Weſtphalicus, de hac Suevicus & Bavaricus Circuli inter ſe contenderunt, *Add. I. c. 7. p. 42.* Non minus (III) inde etiam nonnihil turbatum in Circulis, ſi quando membrum aliquod, quod revera tale habitum, evaneſcit, quale quid in Suevico Circulo cum Collegio S. Georgen-Schild und Ritterſchafft in Hegau contigiſſe notiſſimum eſt, quamvis an jure Imperii Matriculæ hæ ſocietates illatæ fuerint, dubitatum legamus apud Hippol. von Treißbach im Bedencken über etliche Fragen/ der Freyen Reichs-Ritterſchaft in Schwaben ꝛc. Stände und Seſſion betreffend. *n. 266. p. 130.* Fœdus hoc ab initio valde utile Imperio, durch dieſen Bund iſt im Reich viel Rauberey abgeſtellt/und die Straſſen gar wohlgehalten worden/ teſte Stumpſio, Schweitzer-Chron. *LXIII. c. 21.* conf. Wurſteiſium *Chron. Baſil. L. VI. c. 17* cum tamen deinceps propter nimiam potentiam multis, Evangelicæ imprimis Religioni addictis ſuſpectari cœperit, tandem circa A. MDXXXIV. diſſolutum eſt, annitente vel maxime etiam Franciſco I Galliæ Rege; Bellayus *Comment. de reb. Gall. L. IV. f. 142.* B. Dn. Seckend. *Hiſt. Luther. lib 3. ſect. 7. §. 19.* & Dn. Datt. *l. c. L 2. c. 24.* Tandem (IV.) magnæ etiam turbationes, vel alterationes ſaltim in variis Circulis apparuerunt per Exemtiones, & ſi, quæ membra ad Imperium Ordinum jure & immediate ſpectabant, deinceps variis de cauſis aliorum potentiorum poteſtati & Juriſdictioni ſubjecta fuerunt, quorum uti longe maximus referri poſſit Catalogus, ita tamen temporis ratio non ſinit, ut in eorum recenſione hac vice diu occupemur præſertim cum ab omnibus, qui ad Jus publicum commentati ſunt, imprimis Paurmeiſter *de Juriſd. L. II. c. 4. § 26 ſqq.* Reinking. *de R. S. & E. L. I. c. 12. c. 9.* Arumæo *de Comitiis c. 2. n. 47. p. 63. & c. 7. n. 61. p. 633.* argumentum hoc ſatis explicetur, imo præclarus quondam JCtus Zachar.

Victor

Digitized by Google

Victor *de Imperii Exemtionibus* ſolide doctum Tractatum in lucem emiſerit. Jungi etiam his utiliter poterunt, quæ habet Rud. God. Knichen. *Op. Polit. L. 2 p. 3. Sect. 1. c. 2. th. 5. p. 58. ſqq. & Sect. 4. c. 2. p. 577. ſqq.* Ac deniq; (V) per varios ipſorum Circulorum nævos defectusq; internos non parum ſaluberrimo huic inſtituto nocitum, turbationumq; cumulus ac numerus auctus fuit. Spectat huc, quod apparatus & Ordinationes Circulorum, die Creyß-Verfaſſunge/ magis magisq; negligi, Executiones claudicare, & correſpondentiæ neceſſariæ negligi cœperunt, de quibus alibi paſſim, & apud Bœcler. *Not. Imp. L. 8. c. 2.*

§. XVII Indicandæ nunc etiam eſſent Conſultationes & Conſilia, quæ de redintegrandis Imperii Circulis vel publice inita, vel a publicarum rerum peritis privatim in medium prolata fuerunt. Certum enim eſt, & docent Receſſus Imperii, hoc dudum inter objecta conſultationum Comitialium fuiſſe, & hodienum adhuc eſſe vid. R. I. MDCLIV. § 178 ſeq. Autor der Grundfeſte *p. III. c. 6.* imo invictiſſimum Imperatorem per Capitulationem ad redintegrationem circulorum, & ad recuperationem omnium, quæ Imperii fines injuſte exceſſerunt, teneri noto eſt notius; Sed rationes quamplurimæ hactenus obſtiterunt, eæque graviſſimæ, quare voto ſuo nec Imperator nec Imperium potiri potuerint, de quibus ut & de toto hoc argumento, quum vela contrahere jubeamur remittimus Lectores plura & ſolidiora deſiderantes ad B. Bœclerum *l. c. L. II. c. 3. 4. l. c. 2. th. 12. p 78.* Authorem der Grundfeſte *l. c. & c. 9* Dn. Schweder. *J. P. part. gen. c. V.* § *26* & ab hiſce allegatos.

§. XVIII. Moleſtum forte fuerit Lectori, ſi diutius argumentum hoc bono Imperii Civi non utiq; gratum, nobisq; ipſis fere nunc tædioſum, diutius proſequamur, quare & ſcribendi finem facimus, & ſicubi per ætatem & temporis anguſtias lapſi fuerimus, non recte dictorum, quæ pro non dictis haberi volumus, veniam exoramus. Cæterum utut iſtæ, quas contemplati ſumus, Circulorum turbationes in ſe ſpectatæ non poſſint non dolorem cuivis Imperium communemq; patriam & ſalutem eius ſincere amanti adferre, ratio tamen etiam hic habenda eſt Summæ Poteſtatis, quæ hæc omnia dirigit & reſpicienda vel maxime illa, quæ ita

ludit in humanis divina potentia rebus,

ut quæ integra ſunt, ne divellantur, & quæ divulſa, in unum ne coaleſcant. Finimus cum ardentiſſimo pro Imperii, ejus Auguſtiſſimi Capitis & omnium Membrorum ſalute voto. Utinam brevi appareat id tempus, quo omnia in omnibus futurus eſt ſolus JEHOVA. Hic enim in univerſo & univerſali Orbe ubi extiterit centrum, tum demum a particularibus quoq; quibusvis orbibus ac Circulis omnis perturbatio, imo Eris & Erinnys omnis longe & in perpetuum exulabunt.

F I A T !

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google